S. P. Clar^me Vir. Quum ante menses aliquot
Leydam venissem ad professionem Graecae
& Latinae linguae, nolui committere quin
aliquid ad te literarum darem, quibus te ad
veterem quae mihi tecum Genevae intercessit
amicitiam alendam excitarem, simulque gratias
haberem pro Herodiano & fontibus Juris,
qui ex tua liberalitate ad me fluxerunt.
Versor nunc totus in vertendo libello quodam
cui titulus est Κωνσταντίνου τοῦ Πορφυρογεννήτου
περὶ θεμάτων. Ubi is praesidia militaria agmina
quae post imminutum Imperium Romanum
loco legionum in Asia constituta fuerint
Continens brevem quandam Geographiam &
multa lectu dignissima. Authores etiam
citat non paucos quorum hodie ne nomina quidem
habemus. Multa etiam nomina officiorum, hactenus
vel inaudita vel non intellecta.
Tu quid cudas facies nos obsecro certiores
& quid de reparatione studiis civibus nobis expectandum
sit. quod profecto omnes tui avidissime expectant.
Arriani tria exemplaria ut per Tomelinum
mittas rogo. Curabo ut posthac nostrorum
Academicorum manibus teratur. Velim scire
an multa adhuc apud te sint exemplaria.
Bene vale vir Clarissime. Lugduni Batavorum
12 Septembris 158

Homerum ut scis publice doceo. Ita Poeti editionem conferre cepi:
sed fallit ~~ex~~ profecto expectationem meam. Neque enim ullam
οἰκονομίαν in epistola indico. quod cuivis constare potest
qui Eustathium legerit.

Tui studiosiss.
B. Vulcanius

Clar^mo viro
D. Henrico Stephano
amico s. singulari

Vulcanius. Francofurti.